



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Qui regnante Adriano fidem propugnabant. Cap. III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

calamitates, malis alio post aliud importatis, magis magisque accrescebant. Nam cum iam imperator ad annum decimum octauum regni sui peruenisset, ingens Iudaeorum multitudo, nouo tumultu de inegro concitato, e medio sublata est. Siquidem non Alexandria solum, & in reliquis Aegypti partibus, verum apud Cyrenem etiam complures veluti crudeli aliquo & seditioso spiritu exagitati, contra gentes, quae una cum illis habitabant, seditionem conflare coeperunt. Atque seditione mirum in modum exardescente, sequente anno, (Lupo id temporis vniuersae Aegypti praefecturam gerente) bellum non exiguum illud quidem & lene mouerunt. Ac in prima dimicatione illi a gentibus victoriam forte consecuti sunt, ac propterea Gentes Alexandriae prope cofugientes, Iudaeos, qui in ea ciuitate commorabantur, subito captos oppressosque interfecerunt. Iudaei ergo, qui tum incolebant Cyrenem, Sociorum auxilio, qui Alexandriae habitabant, penitus iam destituti, duce Lucua Aegyptum depopulari, predas agere, agros illius vastare aggressi sunt. Aduersus quos, imperator Marcium Turbonem cum pedestribus, equestribus, & naualibus copiis misit. Hic multis preliis commissis, belloque contra eos non exiguo tempore continuato, infinitas copias Iudaeorum, non solum, qui a Cyrenem, sed etiam qui ab Aegypto, ad auxilium ipsorum duci Lucuae ferenda se contulerant, trucidauit. Imperator igitur admodum veritus, ne Iudaei, qui erant in Mesopotamia, in Gentes eam regionem incolentes, per insidias impetum facerent, Q. Lucio in mandatis dedit, ut illos e provincia funditus tolleret deleretque. Qui quidem facta illuc expeditione, immensam Iudaeorum multitudinem, qui ibi domicilia rerum suarum collocauerant, occidit. Cuius rei causa tam prospere gesta, praefectus Iudaeae ab imperatore declaratus est. Ista etiam gentiles scriptores, qui illorum temporum res gestas literis mandarunt, eisdem ferè verbis posteris prodiderunt.

Qui regnante Adriano fidem propugnabant.

CAP III.

Postquam viginti annos integros, sex mensibus minus,
 † Traia-

EVSEBII HISTORIAE

Traianus imperio perfunctus fuisset, Aelius Adrianus in eum dignitatis gradum succedit. Hunc Quadratus, oratione coram habita, compellat, & Apologiam, quam pro nostrae religionis defensione propterea contexerat, quod nonnulli nequa & perditii homines nostris molestiam facessere conarentur, ei offert: quod quidem opus, cum apud multos fratres ad hoc usque tempus, tum apud nos habetur in manibus: ex quo praecleara mentis intelligentiae & Apostolicae veritatis excutiendae regulae indicia, quae in illo viro elucebant, facile licet peruidere. Idem porro author suam ipsius ostendit antiquitatem, scribens ad hunc modum. Seruatoris nostri res gestae semper hucusque ante hominum oculos versatae sunt, & verae etiam sunt. Nam nonnulli ab eo ad sanitatem restituti, alij a mortuis excitati, tum id quidem temporis cum essent morbis liberati, visi sunt, postea etiam semper haecenus una nobiscum comorati: propterea quod non solum cum seruator apud nos versabatur, sed etiam post eius decessionem, ad longinquum tempus fuere superstites, adeo ut ad nostra usque tempora non pauci eorum vitam producerent. Verum de Quadrato ista accepimus. Aristides etiam, scriptor fidelis, & institutis nostrae religionis imbutus, Apologiam pro fide nostra scriptis post se reliquit: quam quidem Adriano dedicauit, ut Quadratus antea suam. Qui eius liber, adhuc a plerisque custoditur.

*Qui sub eodem, Romanorum & Alexandrinorum
episcopi fuerint. CAP. IIII.*

Tertio anno Adriani imperij, Alexander Pontifex Romanus, cum decem annos in eo munere fungendo compleuisset, decessit a vita. Cuius Xyllus successor fuit. Eodem ferè tempore, Primus Alexandriae episcopus cum duodecim annos illi Ecclesiae praefuisset, morte occumbit, quem secutus est Iustus.

Qui inde à Seruatore, usq; ad eos qui nunc commemorantur, Hierosolymorum fuerint episcopi.

CAP. V.

Epi-